

cente morbo, frequentius eos invisere et ad salutem juvare debent. (ib. c. 5. Modus juvandi morientes) Non censemus tamen eos universim sub gravi obligari ut moribundis, qui jam sacramentis rite muniti sint et se bene dispositos prodant, per se vel per alium in extremo agone assistant. Nam de gravitate obligationis illius, quam Rit. Rom. certe imponit, interrogata S. C. C. respondit (23 Mart. 1879) : " Standum praescriptionibus Ritualis Romani; in reliquis consulat probatos auctores. „ Quandoque tamen gravis obligatio oriri posset: nempe si ageretur de homine peccatis assueto, qui magno periculo in peccata relabendi neque poenitendi exponeretur, nisi parochus ei ad finem usque assistat ut eum ad contritionem hortetur et absolutionem iterum concedat." (Lehmk. II. n. 647) (1)

Sed hic quoque attendendum ad paroeciarum extensionem et ad cetera parochi munera: quae si plurimum oneris afferunt, facilius excusabitur parochus si ea quae Rituale prescribit non omnino ad amissim impleat. Haec tamen ratio numquam sufficiet ut regulariter curetur tantum de ultimis sacramentis ministrandis, nullatenus vero de infirmis postea visitandis vel in extremo agone juvandis.

Punctum III. De parochorum adjutoribus.

71. I. Parochorum adjutores duplices sunt speciei. Piores dantur parochis, etiam invitatis, ab episcopo ad supplendum aliquem ipsorum defectum quo ferendis oneribus parochialibus impares sint, puta morbum, senium, inscitiam, etc. Postiores adjunguntur parochi qui nullatenus incapax est muneris sui implendi, sed populo tam numeroso praeest ut solus illius curam agere nequeat. De his tantum loquemur, qui frequentius occurunt: piores enim, saltem quando parochus jam nullis muneris sui partibus implendis aptus est, fere jura et officia ipsorum parochorum habent.

II. Coadjutores, seu (ut in Belgio dici solet) *Vicarii*, spectata lege antiquiore (Trid. Sess. 21. de ref. c. 4) ab ipsis parochis assumendi erant, ab episcopo examinandi et approbandi. " Hodie tamen eorum tum deputatio, tum amotio in plerisque locis ad episcopum spectat. Et haec praxis, sicut indigentiis hujus temporis respondeat, ita et juri canonico non adversatur. " (Aichner, op. cit. § 129)

(1) De parochorum iuribus ex professo agere ad forum externum et Jus canonicum pertinet. Quae de iis in praesenti opere passim occurrant, monstrat Index analyticus, ad verbum *Parochus*. De his videsis fusius disserentem Berardi in utili opere suo: De Parocho.

III. Idem coadjutores, cum ad confessiones in tota dioecesi audiendas approbati sint, nulla parochorum licentia ad parochianos absolvens indigent. Quoad reliquas vero facultates, non ubique eadem viget praxis. Nam quandoque ipsis per episcopi decretum generaliter committuntur cura animarum et administratio sacramentorum: quo facto, possunt, absque delegatione sui parochi, valide matrimonii assistere et subdelegare tamquam delegati ad universitatem causarum. Cfr. Vol. I. n. 119. Sed quandoque parochi committitur ut eis concedat eas tantum facultates quas expedire judicaverit: quo in casu, nihil possunt nisi quod ipsis expresse vel tacite concessum fuerit.

IV. Obligatio coadjutorum erga parochum complectitur praesertim haec duo:

1º Diligens subsidium in cura animarum, nempe quatenus iis uti volet parochus, cui semper licet functiones quaslibet sacri ministerii personaliter obire.

2º Oboedientiam qua non tantum parochi jussa in sacro ministerio exercendo exsequantur, sed etiam in universa sua agendi ratione ipsius directioni uniti et subditi maneant, nec quidquam novi alicujus momenti, parochi inconsulto aut invito, moliantur. (Aichner, l. c.) (1).

SECTIO III. — DE OFFICIIS RELIGIOSORUM.

CAPUT I.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

72. I. Status religiosus idem est ac *status acquirendae perfectionis*.

Perfectionis nomine hic intellegitur ille gradus caritatis, quem potest attingere creatura mortalis quae a se removit omnia divini amoris impedimenta et se totam Dei obsequio consecravit. Distinguendus est omnino ille status a *statu perfectionis exercendae*, qui ex se, propter opera perfecta ad quae obligat, requirit hominem jam perfectum: in quo adae-

(1) Omisimus hic de privilegiis generalibus clericorum vel specialibus episcoporum agere: quod argumentum ut proprium sibi vindicant Canonistae. Quae de eo obiter in operis decursu tractentur, videsis in Indice analytico ad verba *Privilegia clericorum* et *Privilegia episcoporum*.

quate sunt episcopi; inadaequate vero presbyteri curam animarum habentes, quia his deest perpetua obligatio remanendi in hoc munere, quae in episcopis reperitur. Religiosi igitur non tenentur esse perfecti, sed in acquirendam perfectionem, incumbere ope illorum mediorum quae speciali ipsorum status ratione suppeditantur. Haec media specia lia sunt *consilia* seu opera bona quae Christus non praecepit, sed commendavit, tamquam meliora quam eorum opposita, puta virginitatem prae matrimonio; inter haec autem eminent paupertas, castitas et oboedientia, quae propterea saepe per antonomasiā *consilia evangelica* nuncupantur. Cfr. 2. 2. q. 186. aa. 1 et 2; Suar. de Rel. tr. 7. l. 2. cc. 1 et 2.

Haberi potest status religiosus latiore et pressiore sensu. Latiore sensu, designat statum eorum qui tantum unum vel alterum ex his principalibus consiliis, vel omnia incomplete et imperfecte profitentur (Suar. l. c. c. 2. n. 17); sensu pressiore seu stricto, designat statum qui in Ecclesia agnoscitur tamquam status completus perfectionis acquirendae. De hoc tantum hic agemus.

73. II. Status religiosus presse sumptus, in praesenti Ecclesiae disciplina, requirit **quattuor elementa**:

1º **Observantiam trium consiliorum** paupertatis, castitatis et oboedientiae, quae propterea *substantialia religionis* vocantur. Ex his integratur status religionis, ac proinde ad ejus essentiam nullius alias consilii observantia necessaria est. Nam per haec tria consilia removentur praecipua impedimenta perfectionis, excluditur sollicitudo saecularis quae perfectionis assecutionem maxime impedit, et homo totaliter cum omnibus bonis suis Deo offertur: quae tria sufficiunt ad complendum statum perfectionis acquirendae. (S. Th. l. c. a. 7; Suar. l. c. c. 2. n. 11 seqq.)

2º **Votum perpetuum** quo observantia horum trium consiliorum firmetur: nam absque tali voto deficeret obligatio ad ea quae sunt perfectionis, et consequenter immobilitas ad statum proprie dictum requi sita. (S. Th. l. c. a. 6; Suar. l. c. c. 3)

3º **Vitam communem** in eo positam quod plures religiosi sub unius praesidis auctoritate congregati vivunt. Ratio hujus condicionis est: necessariam esse Ecclesiae approbationem, ut statim dicetur; ab Ecclesia autem jam non dari approbationem, nisi religiosis vitam coenobiticam decentibus. Hinc etiam patet, saltem hodie, ad religiosum statum requiri, praeter tria vota substantialia quibus religiosus Deo obligatur, peculiarem aliquam obligationem per modum pacti reciproci quo et ipse se donat communitati eidemque obligatur, et communitas ejus traditionem acceptat eique vicissim obligatur ad illum tamquam

membrum suum alendum, conservandum et juxta institutum suum gubernandum. (Suar. l. c. c. 4. n. 9) Attamen, seclusa hac Ecclesiae ordinatione, status religiosus duci potest et reapse a multis anachoretis ductus est privatum et absque unione cum aliqua communitate religiosa. In his adjunctionis requirebatur profecto ut religiosus alicui homini se obligaret et potestatem in se traderet: securus enim, quomodo considereret oboedientiae votum? Non erat autem necessaria promissio vel obligatio proxime vel directe homini facta, ut patet exemplo illius qui oboedientiam voveret confessario suo, servato jure ab uno ad alium confessarium transeundi. (Suar. l. c. n. 11 seqq.)

4º **Approbationem Ecclesiae** seu Romani Pontificis. Id statuit Innoc. III in Conc. Later IV (Decr. l. 3. t. 36. c. 9) et confirmavit Gregor. X in Conc. Lugdun. (6ⁱ Decr. l. 3. t. 17. c. un.), qui perpetuae prohibitioni subiecti omnes religiones post Conc. Later. ad inventas et nulla confirmatione Sedis Apostolicae donatas. Hanc necessitatem obtinendae approbationis a Sede Apostolica communiter Canonistae explicant de quibuslibet Ordinibus vel Congregationibus, etiamsi in iis vota tantum simplicia emittuntur. Attamen, ex consuetudine quae praesertim ab ineunte saeculo decimo nono vires sumpsit, talis approbatio jam non requiritur nisi pro religionibus votorum sollempnium, ac proinde episcopis jus est approbandi Congregationes in quibus vota simplicia emittantur. Immo jam non approbat S. Sedes nova Instituta religiosa, nisi aliquamdiu cum episcopi approbatione persistenter et utilitatis sua argumenta dederint. (Lucidi, de Vis. ss. Lim. t. II. p. 257)

Quodsi sola essentia vitae religiosae spectatur, non videtur positiva approbatio Rom. Pont. vel episcopi requiri, ut patet exemplo antiquorum anachoretarum; sufficeret ergo ut Ecclesia non prohiberet peculiarem aliquam rationem qua status perfectionis exerceretur. Videsis Suar. l. c. cc. 15 et 16. Certum est ad essentiam vitae religiosae, etiam in praesenti Ecclesiae disciplina, minime requiri vota sollemnia. Multis controversiis de hoc arguento exortis finem imposuit Gregor. XIII (Const. *Quanto fructuosius*, 1 Febr. 1583 et *Ascendente Dno*, 25 Maii 1584), declarans Scholasticos S. J. "vere et proprie religiosos fuisse et esse."

74. III. Status religiosus, secundum se et quoad substantialiam suam, ab ipso Christo Domino immediate traditus et institutus fuit: atque ita dici potest esse de jure divino non praecipiente, sed consulente. "Haec est sententia omnium catholicorum recte sentientium." (Suar. tr. 7. l. 3. c. 2. n. 3)

Constat haec veritas imprimis ex Evangelii, in quibus essentialia elementa status religiosi, spectati secundum se et praecisione facta ab

Ecclesiae determinationibus, a Christo proposita leguntur. Ibi enim non tantum singula consilia substantialia suadentur, sed quandoque omnia simul, ita ut satis appareat Christum invitare ad quamdam vivendi rationem in qua simul exerceantur. Sic Matth. XIX, 21 : " Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus... et veni, sequere me. " Nam, ut loquitur Suar. (l. c. n. 5) : " Expressse conjungit paupertatem cum oboedientia et necessario supponit castitatem, quia non posset quis sequi libere Christum obligatus uxori, nec etiam paupertas cum filiorum procreatione et obligatione quae inde nascitur bene conjungitur. " Christum autem suadere ut horum consiliorum observantia voto perpetuo firmitur, sic probat S. Th. (2. 2. q. 186. a. 6) : " Ad perfectionem vitae Dominus pertinere dixit quod aliquis eum sequatur, non qualitercumque, sed ut ulterius retro non abiret. Unde et ipse dicit Lucae IX, 62 : Nemo mittens manum ad aratum et respiciens retro aptus est regno Dei.... Haec autem immobilitas sequelae Christi firmatur per votum. Et ideo votum requiritur ad perfectionem religionis. " Si qua ex his elementis obscurius in S. Scriptura exhibentur, elucidatur eadem veritas ope traditionis, quam videsis expositam apud Suar. (l. c. n. 4) Hinc communiter existimant Theol. (S. Th. 2. 2. q. 88. a. 4; Suar. l. c. n. 9) Apostolos veros fuisse religiosos, votis substantialibus ligatos.

SCHOLION. Ut rite intellegantur ea quae hic dicuntur vel passim in documentis S. Sedis occurunt, opportunum erit hic subiecere genuimum sensum quarumdam vocum quae saepius in hoc argumento usurpantur :

Religio designat institutum religiosum in quo vota sollemnia, saltem a potiore membrorum parte, emittuntur.

Ordo saepe in eodem sensu usurpatur ac Religio. Saepe etiam latiore sensu adhibetur ad **designandam** non tantum Religionem votorum sollemnium, sed quamecumque Congregationem, etiamsi status religiosi essentiam non habet.

Congregatio religiosa designat institutum in quo Ecclesia statum religiosum, sed sine votis sollemnibus, agnoscit. Attamen quandoque approbantur sub hoc nomine **piae** sodalitates in quibus non emititur vera professio votorum **simplicium**, ut S. C. Ep. et Reg. 11. Aug. 1889 declaravit de institutis quae, praeter sorores in communitate viventes, alias sorores habent propriis in domibus viventes, sine ullo signo externo, quo ut membra regularis Instituti agnoscantur, vel quorum membra, etiamsi in communitate vivant, nullum tamen Institutum sui signum prae se ferunt, quinimo student occultare tam Institutum suum quam ejus naturam. (Coll. P. F. n. 2159)

Regulares in sensu stricto sunt ii qui vota sollemnia Religionis

emiserunt vel in Soc. Jesu vota simplicia nuncuparunt. (ex Constit. citatis ad calcem n. 73) Probabilis eodem nomine veniunt qui in aliis Ordinibus vota simplicia sollemnibus praevia emiserunt, siquidem, haud secus ac praefata Soc. Jesu membra, in Ordine Regulari degunt cum iis omnibus condicionibus quae ad statum religiosum requiruntur. (n. 82) Attamen, cum de his quaestio agitata fuisset in Congr. super statu Regularium, 15 Junii 1856, decretum ita concinnatum fuit ut neutri opinioni praejudicium inferretur. (Coll. Bizz. nota ad p. 801)

Religiosi strictissimo sensu dicuntur soli Regulares ; sensu minus stricto, etiam membra Congregationum votorum simplicium ; tandem improprie etiam aliorum Institutorum sodales. Eamdem triplicem significationem quoad mulieres habet vox **Moniales**.

CAPUT II.

DE RATIONE INEUNDI STATUS RELIGIOSI.

§ I. DE VOCATIONE AD STATUM RELIGIOSUM.

75. I. Merito distinguitur a plerisque AA. recentioribus duplex vocatio ad statum religiosum : una, generalis ; altera, specialis. Cfr. Damanet, *Manuel pour le choix d'un état de vie*, Ch. VI ; Piat. Praelect. Juris Reg. t. I. p. 32 seqq.

Generalis vocatio sita est in invitatione quam Cristus ad omnes fideles dirigit ut eum in via consiliorum sequantur. Nullum enim signum restrictionis est sive in ipsis consiliis proponendis, ut Matth. XIX, 21 : " Si vis perfectus esse... " sive in promissionibus factis iis qui ea amplexi fuerint, ut ib. v. 29 : " Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores... propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit. "

Specialis seu proprie dicta vocatio consistit in manifestatione consilii quo Deus aliquem determinatum hominem ad statum perfectionis amplectendum invitat. Nam, ex ipsa natura sua, status religiosus continet exercitium virtutis perfectioris quam quae communiter a christianis requiritur, ac proinde in ordine divinae Providentiae non est ut omnes eum assumant. Quare Deus specialibus motibus gratiae suae aliquos tantum incitat ad statum hunc amplectendum : hi enim non solum, ut reliqui fideles, percipiunt illam vitae condicionem esse in seipsa praestantissimam et securissimam, sed insuper eam apprehendunt tamquam sibi metis speciatim convenientem ad salutem suam